



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus**

**Pappus von Tratzberg, Franz**

**Ulm, 1725**

Doctrina 1. Desumpta ex cap. 10. lib. Tobiaë, in quo describitur Fletus parentum Tobiaë junioris propter diuturniorem ejus absentiam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

## FASCICULUS LVI.

## Doctrinarum Moralium &amp; Asceticarum.

## Doctrina I.

Desumpta ex cap. 10. lib. Tobia, in quo describitur Fletus parentum Tobia junioris propter diuturniorem ejus absentiam.

N. 372. Considera I.

**A** Nimam peccatricem, quæ divinò præventa auxiliò & gratiâ incipit, miserrimum vitæ suæ statum agnoscere, in quem se peccandò conjecerat, à cœlesti parente cum filio prodigo peregrinata in Regionem longinquam, iisdem meritò uti posse verbis, quibus longiorem filii sui absentiam deflebat Anna uxor senioris Tobia cap. citatò v. 4. exclamans; *Omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere.* Quid enim homo non habet, qui Deum per gratiam habet? Ipse est contra paupertatem opulentiâ, contra mœrorem lætitiâ, contra famem & sitim saturitas, contra laborem requies, contra mortem vita: atque hinc regius Vates ait Psal. 122. *Nam etsi ambulavero in medio mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Hoc ipsum paribus confirmat verbis Sophonicas cap. 3. afferens: *Dominus in medio tui, non timebis ultrò malum.* Jeremias mittendus ad tremendos Reges & Principes, ut eorum scelera acriter reprehenderet censurâ, poterat meritò capiti suo timere: sed timorem omnem ei absterfit Deus hœc unicò emplastrò: *quia ego tecum sum.* Jacobus Patriarcha, dum paternis ædibus egressus timidam cervicem duro imposuit lapidi, tantam illicò concepit audaciam, ut quidquid tandem in ignoto itinere horridum sibi foret obventurum, nihili duceret, & ridendum potius, quàm timendum. Venerat ei tam heroicus animus à paucis illis verbis, quæ Genes. 28. audierat proferri à Deo dicente: *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac Patris tui, & nunc tecum sum &c.* & verò quid unquam mali prudenter timendum occurrat illi, qui omne Bonum sibi conjunctum habet? ò miserrime igitur peccator, à Deo tuo deserte! quid moraris: instar Annæ uxoris Tobia circumspicere, & circumire vias, per quas spes remeandi videtur ad Deum. Vix tales sunt sincera peccatorum confessio, contritio & satisfactio.

Doctri-